



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. Sententiæ affirmantis fundamenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

v etita, & esse omnino improbabilis: quare mihi non probantur ea omnia, quæ quoad
 Torrec. hoc scribit Torrec. *diff. 5. a. n. 30.* & ideo maturè dixit Innocentius de opinionibus hinc inde inter Catholicos controversis; tō enim *hinc inde*, significat opinionem gravi ratione, & Doctorum numero munitam, non autem opinionem, quæ à ferè omnibus censetur improbabilis, licet aliquis eam probabilem putet; eo enim ipso quod sit singularis, non est *hinc inde* controversa, sed ferè non controversa. Sed de hoc toto *tract. 3.*

N. Ex his infero 1. quod cum omnis propositio, ex quâ evidenter sequitur damnata, sit certò falsa, poterit ut talis censurari, cum modò non sit ampliùs controversa. Secundò infero, quod cum non omne consequens illatum ex damnatâ sit falsum, sed aliquando verum, hinc non potest censurari. Tertiò
 P. Rip. infero cum P. Ripalda *tom. 3. d. 1. n. 32.* quod censurans opiniones controversas, peccat tantum contra obedientiam, non contra fidem.

S E C T I O III.

An in casu extrema necessitatis liceat aliquam ex damnatis ad praxim deducere?

§. I.

Sententia affirmantis fundamenta.

S U M M A R I U M.

DD. affirmantes, n. 38.

Rationes, n. 39. ad 41.

Decretum Clem. VIII. de absolvendo absenti, an ea absolutio foret invalida? n. 40.

Pij V. Decretum de Monialium egressu, n. 41.

N. 38. **M** Ovet hoc dubium, & affirmat Torrec. *diff. 5. a. n. 23.* qui citat Lumb. in explicatione *prima* damnatæ *n. 1683. pagin. 1068.* Filgu. in Lucernâ, in explic. *prime* damnatæ *conclus. 3.* Hozes in explicatione *1. n. 3.* & potuisset eodem modo citare P. Card. 10. 4. *dis. 2. n. 5.* Diez de Prado in explic. *1. n. 5.* Corella in explic. *1. n. 6.* sed quò sensu verum sit eos Autores stare pro affirmativa parte, patebit ex dicendis.

N. 39. Probat Torrec. primò: quia in casu extremæ necessitatis, non præsentè materiâ certâ Baptismi, potest, immò debet quis uti materiâ dubiâ præsentè. Secundò, quia videtur alienum à pietate Ecclesiæ, quod velit prohibere praxim aliquarum ex damnatis urgente gravi necessitate, si vita periclitetur, si grave damnum imminet, &c. Tertiò, hoc idem locum habet in alijs legibus, quæ licet generaliter ferantur, attamen casus necessi-

tatis urgentis exclusi intelliguntur, ut notat Filgu. *l. c.* & in explic. *tertia.* Addit ex Lumb. *tom. 1. n. 462. pag. 450.* quod si propositio non prohibeatur ut falsa, sed tantum ejus praxis, licita erit praxis in omni eo casu, in quo DD. citati à Dianâ in *Summâ* verbo, *Diana. Lex*, docent legem non obligare, ex. gr. quando fundatur in solâ præsumptione, quâdo totalis finis legis cessat, & in casu impotentia, & alijs. Monet tamen ibi Lumb. ne peccetur ex ignorantia crassa, hæc enim ante Deum non excusat. Deinde idem Torrec. citat iterum Lumb. *tom. 3. pag. 1060.* limitantem dictam generalem doctrinam, & dicentem, quod nullus, neque ex eo quod in se cesset periculum, neque ex eo quod in ipso cesset finis legis, poterit aliquam ex damnatis deducere ad praxim abique mortali; quia Papa vetat, ne quis in cautâ propriâ sit iudex sui ipsius, ex. gr. an cesset periculum; & quia in nullo cessat totalis finis legis, qui est, ut Christiani uniformiter operentur, & obedientiam exerceant; & ideo Pontifex, ut has tergiversationes obruncet, præcipit in virtute S. Obedientia: Demum Torrec. duo monet; primum est, hanc ultimam Lumb. doctrinam non obitare, quod liceat in casu extremæ necessitatis aliquam deducere ad praxim. Secundum est, quod ex sententiâ de licitâ praxi alicujus ex damnatis urgente gravi propriâ, vel proximi necessitate, non est extendenda ad omnes damnatas; ex. gr. numquam licet, etiamsi periculum vitæ imminet, aut alia gravis necessitas urgeat, uti restrictione purè mentali, & Sacramento- rum simulatione. Ad quales autem dicta doctrina extendi possit, nihil dicit. Hæc Torrec. Hispanè, ego Latine. Confirmari po-
 N. test ex sententiâ ijs omnibus, quæ doctissi-
 40. mus in paucis P. Moya *tom. 1. tr. 3. qu. 6. per* P. Moy.
totam adducit, & rejicit in favorem aliquo-
 rum putantium, (cum quibus novissime
 sentire videtur Joan. Pontius *d. 46. qu. 2. con-* Joan.
clus. 2. n. 9. sed immeritò) quod cum abso- Pont.
 lutio inter absentes non sit à Clemente VIII. declarata invalida, sed tantum illicita, consequenter in casu extremæ necessitatis poterit Confessarius sciens dolorem poenitentis impertiri eidem poenitenti, etsi absenti, absolutionem. Primò; quia plerique T. T. supponunt, quod si talis absolutio non est invalida, erit licita pro casu extremæ necessitatis, & ideo, ut negent eam pro omni casu licitam, dicunt esse invalidam. Secundò; quia Decretum Clementis, esto utatur verbis universalibus, *ne umquam tamquam probabilis defendatur*, neque ad praxim quovis modo deducatur, non includit casum extremæ necessitatis:

N. cessitatis: eo modo, quo Decretum Pij V. prohibens Monialibus egressum præterquā in casu magni incendij, vel gravis infirmitatis, ex gr. lepre, exponitur per verba universalialia prohibentia, *sub quovis alio pretextu, & occasione egressum*; & tamen P. Azor, & Navarrus apud P. Moyam n. 16. concedunt Monialibus egressum in casu extremæ necessitatis; & ratio est; quia leges humane non tam pressè obligant, ut mortis periculum subire cogamur; & ideo plura in extrema necessitate licent, quæ alias non licerent: ergo idem in casu nostro. Similiter confirmari potest ex eo, quia Decretum Innocentij XI. dicit, statuit, ac decrevit *pro nunc* sequentes propositiones damnare; & Decretum Alexandri VII. utitur particulâ *interea*, quæ æquivaleret ac *interim*, vel *pro nunc*, aut *rebus sic stantibus*, ut notant Jurisperiti apud P. de la Fuente *disp. 1. qu. 5.* ergo lex Pontificia eas damnans subjacet mutationi, seu non est perpetua, hoc enim significat *tò pro nunc*.

S. II.

Amplector negantem.

SUMMARIUM.

Verba Innocentij attentè consideranda, n. 42.
Quid ex illis constet? ibid.
Præiens questio est valde affinis illi, an Deus in septem ultimis Decalogi præceptis dispensare possit? n. 43.
DD. tuentes posse, n. 44.
DD. communiter hoc negant, quod directè, sed indirectè tantum, ibid.
Dispensatio directâ, & indirectâ, quid? n. 45.
Applico hoc nostræ questioni, n. 46.
Recta ratio est uxor adolescentie ex S. Hier. ib.
Objecta Decreti, alia sunt pro omni casu, alia non nisi ut sub tali circumstantiâ scandalosa, n. 47.
Solve argumenta, quod Deus in naturæ lege dispensavit, n. 49.
Numquam licet praxis scandalosa retentâ scandalâ circumstantiâ, licet dimissâ, n. 50. 51.
Rationes n. 52. ad 58.
Paritas ex alijs legibus Pontificijs inutiles, n. 53.
A nullo Decreto Pontificio legislativo simul, & declarativo fieri potest exemptio: potest a puro legislativo. Cur? Ibid.
Nulla damnata assignari potest, quæ urgente necessitate sit practicabilis. Inductio, n. 56. 57.
Nullus Doctor stat pro opposita, n. 58.
Non est contra pietatem Ecclesiæ, ut numquam licet ex objecto illicitum, n. 59. 60.
Discrepan inter leges Pontificias vetantes indifferens, & Decreta declarativa, n. 61.
Fini prohibitionis numquam cessare potest, n. 62.

DD. tuentes cessare legem, cessante ejus sine in particulari, ibid.

Decretum Clementis VIII. circa absentis absolutionem, n. 63.

Ly tunc, & interea, an legem declarativam Papa velit non esse æternam, n. 64.

ANtequam, quod sentio, exponam, N. præmitto primò verba Decreti Innocentij attentè consideranda; ait enim in proœmio: *SS. D. N. re maturè consideratâ, statuit, ac decrevit, sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet.* In fine autem loquens de praxi, ait: *Prohibet omnibus... ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.* Ex his verbis constat primò, hoc Decretum non esse purè legislativum, sed prius est declarativum, deinde prohibitivum. Secundo constat opiniones non esse scandalosas, quia prohibitas, immò fuisse prohibitas, quia scandalosas; nam prius declarat esse scandalosas, dein eas prohibet. Tertiò constat damnare, & prohibere tamquam scandalosas, *sicut jacent*, quare si aliter sumantur, ac jacent, & tali modo, sive per detractiōnem, sive per additionem mutantur, ut non retineant rationem scandali, eò ipso sicut tunc non sunt amplius propositiones, quæ fuerunt damnatæ, sed sunt diversæ, & aliæ non damnatæ, ita qui eas practicat, non practicat damnatas, sed diversas à damnatis, in quo, ni fallor, æquivocatus est Torrecilla. Quarto constat, eò ipso quod Decretum est prohibitivum, eò ipso exponitur per negationem; negatio autem est malignantis naturæ, & negat universaliter omnia, quibus præponitur. Quintò constat Decretum damnare, & prohibere non tantum omnes collectivè sumptas, sed etiam quamlibet ipsarum singillarim sumptam; & non tantum prohibere praxim omnium, sed singularum. Sextò constat Decretum, tum quâ legislativum, tum quâ prohibitivum, uti verbis universalibus negativis, nullâ adjectâ exceptione.

Præmitto secundò, quæstionem hanc, an N. in casu extremæ necessitatis propriæ, aut alienæ liceat practicare aliquam ex damnatis, ut scandalosis, esse valde affinem illi, quæ à Theologis 1. 2. ubi de *Legibus*, agitur, an Deus, vel homo dispensare possit in jure naturæ, in septem præceptis secundæ Tabulæ, seu quæ ordinantur ad proximum; nam in tribus primæ Tabulæ, quæ respiciunt Deum, non posse Deum dispensare, est certum